



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 12. Alia loca fundandis oppidis designantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

**I**NTER hæc Ludovicus Ernotus & Paulus Bennavidius ad alterum Tapensis Provinciae locum pervenerant, fundando alteri oppido designatum, à quibus cùm Araçaius & Caarupa aliisque Casiquii cognovissent Römeri adventum, obviām progressi nocti cum exceptum ivēre, in signum lœtitiae excitatis ubique tñ ignibus, ut fatis appareret, ex filiis tenebrarum velle se transfigurari in filios lucis. Et qui ante quadriennium Rochum Gonçalvium ad necem quæserant, nunc è lupis oves facti pastoris vocibus obtemperantes, superba colla Christi jugo submittunt. Extemporali opere construēto templo, casas suas in formam oppidi construxerant, ostensuri, quām non gravatè reliqua Sociorum mandata capessent. Divo Thomæ consecratum oppidum Ludovico Ernoto & Emmanueli Bertot regendum Römerus tradidit, quorum infatigabili operā primo trimestri mille & ducentæ familia convenere, è quibus ante finem anni septingenti & quinquaginta infantes, præter centum & sexaginta adulæ ætatis homines, peste afflati baptismum consequi sunt. Cæterorum desideria idem postulantum, quoadusque Christianis præceptis informarentur in sequentem annum differre necesse fuit. Quot hujus gentis millia Societas baptizaverit, commodiūs alio loco recensabo.

**B**IDUO aberat Divi Thomæ colonia ab Divi Michaëlis oppido: medio verò utrimque spatio multi sparsim Barbari intacti erant, qui suā sponte in unum locum Itaquiam vocatum convenientes, ædes in oppidi formam, & domum templumque Societatis usibus accommodata construxere, certos homines ad Römerum allegantes, postulaturos, ne se præ alis gentibus contemneret: velle enim se fieri Christianos, & dæmoni renunciare. Romerui rei novitate attonitus prorupit in laudes Dei, barbarissimos homines per se se moventis & suaviter sub suæ legis jugum mittentis. Eò itaque profectus in faustum ponendæ sedis omen trecentarum & quinquaginta familiarum concursu, plaudente celo, Crucem erigit; baptizatisque quibusdam infantibus, ne quid de fundatione dubitarent, surgens oppidum Divo Josepho consecrat, Sacerdotem se brevi daturum ad promittens. Non procul eo loco, in alto montis jugo (Araticam, vocant) vicinorum allecti exemplo multi Ethnici in unum locum coalescentes, etiam templum domumque nostris usibus adaptata ædificavere: efficaci, ut arbitrabantur, Sacerdotis è Societate impetrandi ratione. Eò etiam delatus Romerus sexcentis circiter familiis promisit, se propediem Sacerdotem concessurum. In quam spem erectâ Cruce, & sacro Fonte lotis infantibus, novellam rempublicam designato Magistratu ordinavit. Hæ colonia postmodum Nativitatis Marianæ nomen sortita est. Post hæc Petrus Romerus ad Ibitirunam sylvam alteri sedi destinatam, quod superiori anno ipse excurrerat, Petrum Molam amittit, cum mandatis, ut circumiacentes populos spe alat Sacerdotis obtinendi, si constanter agerent. Quâ spe lati Barbari erectâ Cruce, & designato oppidi futuri loco, infantes suos grandi numero baptismō obtulere. Interjecto tempore Franciscus Ximenius, Adrianus Knudius, Philippus Viverus, ad eos reportato aliquo animatum fructu etiam ititavere. Sed satis apparebat, gentem ab aliis semotam solidè juvari non posse, nisi stabilis sedes figeretur; nam præterquām quod Evangeliæ legis semina absentibus Sociis dæmon per Arios dissiparet, multi fame graffante sine Sacramentorum adminiculis miserrimè moriebantur. Non potuit tamen ante proximè sequentem annum hic locus, sanctæ Theresiae tutela deltinatus, insideri: quarè ejus rebus, uti & inchoatorum Sancti Josephi & Nativitatis Beatæ Virginis oppidorum, enucleatè describendis in id tempus differo, quo ab Societate positis sedibus occupabuntur.

**U**RVAICENSIS Provincia novem Neophytorum nostrorum colonias computabat. Eminebat inter omnes, ut prærogativâ ætatis, sic virtutum imitamentis, Conceptionis oppidum sub curâ Claudi Ruierii & Francisci Molinæ. Hic campanas fundere, ferramenta facere, & quidquid usus Sociorum & Indorum postulabat, suo matre ex ære fabricare magno templorum & populorum emolumento didicit. Hic Socii centum & quinquaginta octo capita hoc anno Christianis addidere.

CAPUT  
XI.  
Sancti Thomæ oppidi  
construi-  
tur.

Incola Rome-  
rum recipiunt  
benevolē.

Ludovicus  
Ernotus &  
Emmanuel  
Bertotus eis  
præficun-  
tur.  
Mille & du-  
centæ fami-  
lia reduciun-  
tur.  
Supra non-  
gentia capita  
baptizan-  
tur.

CAPUT  
XII.  
Alia loca  
fundandis  
oppidis de-  
signantur.

ad Itaqu-  
iam.

Ad Aravi-  
cam.

Ad Ibitiru-  
nam.

CAPUT  
XIII.  
De Urval-  
cenium  
Sociorum  
laboribus.

Franciscus  
Molina me-  
chanicus se  
applicat.